

FR.134.
70

de excellentiis
et litteris a summis principibus cultis

I. N. I. C. C. X 23A 6870

II a
558

UT
SPLENDIDISSIMI MAXIMEQUE
VENERABILES
EPHORI SCHOLÆ,
ALIIQUE VIRI,

QUI LITERARUM AMORE EFFECERUNT, UT CHEMNICII
HABEANTUR ORNAMENTA,
OMNESQUE, QUI LITERIS BENE CUPIUNT,
JUVENUM DUORUM EXIMIA PROBITATIS, MODESTIÆ
AC INDUSTRIÆ LAUDE CONSPICUORUM,

CHRISTIANI
GODOFREDI
CLEEMANNI,
CHEMNICENSESIS,

ET
SAM. BENJAMIN
FEHRII,

ZEH.R. MISNICI,

SCHOLÆ NOSTRÆ, D. V. ID. APRIL.

AUDITA NONA MATUTINA,

VALEDICTURORUM

AUSCULTATORES ESSE VELINT,

ENIXE OBTESTATUR

M. DANIEL MÜLLERUS,
Rect. Schol. Chemn.

CHEMNICII,
LITERIS STOESSELIANIS,
A. MDCCXXIII.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Um multa, singulari Dei providentia, in hominum
societate occurrant res, quibus ob magnam, quam
apportant, utilitatem, justum statuendum est pre-
mium; tum maxime bonas literas excellere, & caput
præ reliquis tollere, omnes, qui non capitis sunt va-
cui, plane confitentur. Si, quid per literas intelle-
ctum velim, roget aliquis, afferat **B. Rechenbergio**,
qui de materia gemella agens ait (a), *literas cum
linguis & artes, tum scientias omnes & disciplinas
notare, que liberali homine maxime digne sunt, ac prisca illis Romans, Ci-
ceroni præcipue, sapientia atque doctrina, Græcis σοφία & φιλοσοφία, no-
bis eruditio, ac vulgo studia vocantur.* His multum inesse dignitatis ac
præstantiae, quam plurima sane sunt, quæ, ut credamus, nos perpellunt.
A præstissimo enim Auctore, Deo, cui nil viget simile, nil secundum, ori-
ginem suam repetur; a Deo inquit, qui rationis & intelligentiae partici-
pem animum hominibus donavit, ut ejus ope veritatem, rerum pulcher-
rimam, sedulo quæstam reperirent, quidque secundum inceptu, fœdum exitu,
cognoscerent. Quod si gentes peripicaciones literis ac artibus non solum
Musas vel novem, vel tres (b), veluti Deas tutelares, ac præsidæ consti-
tuerunt; sed etiam Herculem μυρτών, (quod præcipuum quoque Apollinis
cognomen fuï) peculiaribus sacris coluerunt, eumque fortissimum Du-
cem ac comitem Camænarum, cuius tutela ac numine juvari ac ornari de-
berent, duxerunt: nobis porius statuendum est, Deum verum dici jure Mu-
sagetam, fine quo, in literis & artibus inveniendis & excolandis, nihil age-
re, nihil assequi, nihil moliri potuerint homines imperiti talpaque cæciores.
Ex quo si dignitas literarum nondum clare latit elucescit, ab iis, qui dubi-
tant, unum scire pervelim, præstantiorne natura sit animus corpore, an vero
corpus animo? Animo, quo a ceteris animalibus homo secernitur, qui-
que, si *Seneçam* (c) audias, *quasi Densus est in humano corpore hospitans*, pri-
mas præ corpore deberi, qui animi rationisque non expers est, probe perva-
det. Et quia animum super corpus, quod cœdum & mortale, multum
eminere certum est, studia literarum, que animum formant, a tetricissimq;
morbis, ignorantia ac errore, liberant, & prioris vita vita (si obsequentem
nanciscantur dilecypulum) præclaris virtutibus emendant, anteponenda
quoque esse opificum ac sellulariorum opera, que maxime corpori alendo,
ornando, ac defendendo intenta est, clare rati existimo. Et quam
quaeso ars opus tam excellens, tam pulchrum, tam eximium, quam literæ
recte culta, profert? Producunt manus Phidiaca opus, quod omnium ocu-
los animosque in se convertit; sed quod literarum diligentia efficit, longe
elegantius, præstabilius & utilius est. Est varia rerum tam divinarum, quam
humanarum cognitio, quam verbo doctrinam vel eruditioem appellamus;
que si vera est & genuina, an quid ea pulchrius & amabilius excoigitari
possit, dubito. Graphicæ illa describitur in *Observatione de intempesti-
volibus scribendi & disputandi pruritu* (d), unde nobis sequentia mutua-
ri licebit: *Vera ac genuina eruditio neminem designatur, se ipsam non ef-
ferti, veritatem ac honestatem ubique veneratur; etiamque non in se tantum,*
*sed & in aliis eis oculis adspicit: non furit, cum contradicitur, non con-
viciatur, cum docet, non altercatur, cum errore ostendit: blanda est, affa-
bilis, manuetia; moderatione, charitate, commiseratione temperata; pro-
vida, cum loquitur, cauta, cum scribit, tota suavitatis, amor tota, delicieta-
ta.* Lyricorum Græcorum Princeps, **Pindarus**, natam in insula Rhodo
Minervam esse, eaque nascente auream pluviam e nubibus decidisse, non in-
consulte finxit (e): id quod non alia ex causa fecisse mihi videtur, quam ut
partim hanc, de qua loquimur, præstantiam literarum, tantum omnes artes
reliquas, quantum aurum cetera metalla, pretio exsuperantum, partim in-

(a) In Differt, de Serenii, Electorum Saxonie Favore in literis & Scholas §. 2. (b) Antiquio-
res Hesiodo, Homero & Orpheo tres tantum numeralli Musas probatur Tom. IV. Oberly.
Select, ad rem literarum spectantium, Oberly, III, p. 38. sqq. (c) Epist. XXXI, p. m. 120.

(d) Et Observatio prima in Oberly, Select, ad rem liter. spæstantium Tom. II, pag. 18.

(e) in Olymp, Od. VII, p. m. 40, & 41.

signem earundem usum indicaret. Scilicet ut auri in vita humana, quod nemo ignorat, *Majoragius* vero & *Morhofius* luculentem admodum docuerunt (f), magnus lateque patens est usus: ita ex literis amplissimus huic, quam degimus, vita est fructus. Ipla Respublica, qua varia conditionis homines complectitur, arctoque vincule connectit, nihil hisce sibi esse utilius, nihil commodis suis aptius fateretur, si fandi facultatem accepisset. Vices ejus suscipit Vir ille sapientissimus, *Plato*, de quo in *Cicerone* (g) hoc relatum legimus: *Principes ingenii ac doctrinae, Plato, cum denique fore beatas Respublicas putavit, si aut doctri & sapientes homines eas regere capissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocaſent.* Ad singulares etiam, qui sunt in Respublica, homines, cujuscunque fere sint conditionis, non mediocre ex literis redundant emolumentum. Qui in puppi sedent clavumque tenent, tametsi ab apinis levibusque tricis eruditorum merito revocentur; tamen si artem regendorum populorum, si, qua in historiorum monomentis occurruunt, exempla, si præcepta prudenter recte percepint, non alienis, sed suis vident oculis, & digniores fastigio, quod ascenderunt, reputantur. Qui aulae sunt ornamenta, qui templis, cuius scholisque præfunt, imo qui militari etiam funguntur munere, quanto sibi sint usui literæ, cernunt: & ipsi cives, qui manibus opus facere didicunt, pra alii, si quid literarum in scholis haulerunt, emicant, & utiliora Respublica officia præstant. Et hæc literarum utilitas, hæc, quæ ex illa colligitur, præstabilit Viros summos, qui terrarum orbem nominis sui gloria impleverunt, quique in magna mundi parte summo cum imperio & potestate sunt versati, non latuit. Redeo jam in memoriam Magni illius Alexandri, qui, quanta benevolentia complectetur literas & literatos, satis in expugnatione Thebarum comprobavit. Cum enim urbem diripi penitus que deleri juberet, ut milites firpi & domui doctissimi Poëta, *Pindar*, parcerent, mandavit (h), qua de re Poëta eleganter admodum cecinit (i):

*Magnus Alexander Thebana viator in urbe,
Omnia cum miles perdere igne feris,
Parcite Pindaricis, Rex inquit, parcite tecis:
Non hec vel violet flamma, vel ulla manus.
Sola domus maneat divini salua Poëte;
Cetera, quantumvis splendida, tecis cadant.*

Huc pertinet Sylla, Romanus (virtutibus ne vitis, nec cito) in summum honoris culmen sublatius, quippe qui Athenis, quas fame ac osidione ad humanos cibos compulerat, & postea occupaverat, non alia fere causa parcerat (k), quam quod illa tot sapientissimorum doctissimorumque hominum domicilium fuissent. Ex priscis Imperatoribus jam subit mentem *Theodosius*, *Magni* cognomen meritus, qui sicut, teste *Aurelio Vifore* (l), *ingenia eruditata miratus est*, ita præcipue *Aufonium*, Poëtam doctissimum, in Epistola quadam (m) *Parentem jucundissimum* appellare, ejusque doctrinam miris laudibus extollere non dubitavit. Ad Germanicos Imperatores & Principes si progredimur, e multis adducere *Sygmundum* Imperatorem, ante hos trecentos circiter annos egregia corporis forma, præclarisque animi dotibus illustrem, lubet, apud quem Viri doctrina excellentes in eo fuerunt numero, ut nobili loco natis anteponerentur. Interrogatus hic aliquando a Viris Principibus, cur homines in tenebris & obscuritate natos tanti faceret, respondit (n), se illos, qui ceteris divino dono antecellerent, jure venerari: posse se dignitatem equestrem, aliasque honores conferre; doctos vero a solo Deo præpotente creari. Cumque Jurisconsultorum tunc facile Principem, *D. Georgium Feselium*, Equestris Ordinis insignibus decorasset, & hic Basilea in celebri ordinum conventu dubius animi hæreret, Equitibus ne Jureconsultis se jungeret, tandem vero ad Equites, tanquam ad ordinem gloria magis circumfluentem, accederet, Imperator, *stulte*, in-

(f) In Orationibus de Auro, quæ sub titulo Philoehryi iunctim editæ sunt Lubecca Ann. 1691,

(g) Lib. I. Epist. I. ad Quintum fratrem. (h) Vide Supplementa Curtii Freinheimiana L II, p. m. 13. (i) Hos Poëtas, nec cito cuius, versus allegat Theodorus Redekerus in Not. ad Orat. Cicer. pro Archit. p. 541. (k) Vid. Florum. Lib. III. His. Rom. c. 5. (l) in Epitome de vita & moribus Imper. Rom. p. 298. (m) Legitur hæc Epistola in Pastorii Theodosie M. p. 223, seq. (n) Vide Matchia Theatr. Histor. p. 1001.

Frta 558

quit (o), agis, quod literis militiam nobilitatemque presers. Nam ego mille Equites uno die crearim: Doctorem vero unum mille annis non fecerim. Sic intellexit Imperator prudentia nulli cedens, in eruditis esse aliquid stemmate in atris proposito, clypeisque & imaginibus majorum e pariete pendentibus illustrius. Hisce omnibus probe ponderatis, facilis, ut opinor, est fides, bonas literas rem esse præstantissimam, non gemmis, nec pura, nec auro venalem; id quod, si miram earum jucunditatem paulisper excutere, aliisque argumentis sententiam firmare vellemus, apertius etiam, credo, fieret. Verum quia pagina capere plura non videtur, istud tantum inquirere juvat, decedat aliquid huic literarum præstantia, si quis & eorum & simul opificiis cujusdam, vel etiam multorum, cum Hippia & Julio Cesare Bottifango (p) scientissimus esse, vel Musices aliarumque rerum peritiam cum iis connectere velit. Sponsa amatorem cum aliis habere se velle communem negat; sed literæ Zelotypia non ita laborant, ut cultores luos aliarum simul rerum amore capi vetent. Hoc est, quod duo / juvenes extini, literisque probet int̄.

Christianus Godofredus Cleemannus, Chemn.

&

Samuel Benjamin Fehrius, Zehrensis Misnicus,

(quos, quia scholastica subsellia huc usque adeo arcte conjunxerunt, ut alterius latus per annos complures stipaverit, merito hic coniungo) dum e contubernio nostro discedere, & celebrem Lipsiæ Heliconem alacres confendere parant, pluribus verbis indagare sibi proposuerunt. **Primus** enim horum, Cleemannus, cum literarum studiis opificium aliquod posse vel etiam debere addisci (q), Oratione latina evincere annitetur, & quidem, ut ego credo, exercitiis gratia. Ipse enim a teneris, quod ajunt, unguiculis, folias artes, quæ ad humanitatem pertinent, non opificium simul quoddam, adamatavit, solumque Musarum spatiū decurrere sedulo studuit. A Patre enim admodum Reverendo, Amplissimo ac Doctissimo, Dn. M. Godofredo Cleemannu. Archi-Diacono in urbe nostra optime merente, concreditus schola nostra, felici, quod a provida natura accepit, ingenio naviter usus est, ac non nisi ea paravit, meditatus est, cogitavit, quæ esse in diligente bona que nota discipulo, inque homine docto debent, omniaque sua studia in literis positâ esse voluit. In linguis certe & scientias avidus involavit, Deoque fortunante, pulchrum horum laborum præmium, profectus in studiis laudabiles, reportavit. **Secundus**, Fehrius, literas cum Musices, artis laudatissima (r), studio connexi debere, Oratione itidem latina evincet, quam dicendi materiam cur sibi elegerit, non miror. Musices enim per duodecim illos annos, quibus Chemnici gremio suo eum fovit, fuit amantissimus, sed ita, ut omnem liberalem doctrinam, quam Musices nomine complexum fuisse Aristophanem, observavit (s) Muretus, cupide simul consecratur. Satisfecit Honorablem Affini modularum cantum, tanquam pietaris & laudis divinae instrumentum, docenti: satisfecit etiam nobis, qui, præter pietatem, linguarum artiumque cognitione animum illius imbuere, officio jubente, studiuimus: quibus nunquam irascendi vel conquerendi ansam præbuit. Vidimus potius lati laudabilem ejus cursum, semperque ominati fuimus, & jam quoque ominamus, similem illum aliquando Parentis plurimum Reverendi, Virumque coetui Dei perutilem fore. Habitiss memoriter Orationibus ille carmine germanico, hic latino valedicet. Valedicentes optimis omnibus prosequetur

Fridericus Adolphus de Döring, Eques Misn.

ad præclarâ quavis natus, si Orat. brevi lat. ostenderit, literas cum militia bene posse conjungi. Vos, Patroni ac Fautores æstumatisissimi, adeste quæso, linguisque & animis favete, ac discedentibus benevolentia Vesta non indignis fausta quavis mecum precamini.

(o) Refert præter alias Müllerus in Annal. Sax. ad A. 1434. d. I. Oct. p. 18. (p) in Polyb. L. I. cap. I. p. 2. (q) Videatur hoc de re Adami in Delic. Bibl. N. T. P. IV. pag. 1157. seqq. (r) de Præstantia Musices vid. Dn. D. Georg. Franck de Franckenau Diffr., in Sat. Med. p. 464. seqq. (s) ad Tuscul. I. p. 198.

*De excellencia
et litteris a famosis principibus cultis*

I. N. I. C. C. X 23A6870

II^a
558

SPLENDIDISSIMI MAXIMEQUE
VENERABILES
EPHORI SCHOLÆ,
ALIIQUE VIRI,

QUI LITERARUM AMORE EFFECERUNT, UT CHEMNICII
HABEANTUR ORNAMENTA,
OMNESQUE, QUI LITERIS BENE CUPIUNT,
JUVENUM DUORUM EXIMIA PROBITATIS, MODESTIÆ
AC INDUSTRIÆ LAUDE CONSPICUORUM,

CHRISTIANI
GODOFREDI
CLEEMANNI,
CHEMNICENSIS,

ET

SAM. BENJAMIN
FEHRII,

ZEH.R. MISNICI,

SCHOLÆ NOSTRÆ, D. V. ID. APRIL.

AUDITA NONA MATUTINA,

VALEDICTURORUM

AUSCULTATORES ESSE VELINT.

SITÄTS-BIB.

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8

Farbkarte #13

B.I.G.

